Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift

libri prophetarum. premisso generali hoc adde ut manum directam trahas super capil
los circa aurem dextram quod senectutem significat. Pro signo bibliothece.
premisso generali hoc adde ut proferas omnes digitos utriusque manus. Pro signo epistolarum
Pauli. premisso generali adde signum calvi. Pro signo libri Iob. premisso generali mentum cum dextera
tene. deinde eandem dexteram expansam super pectus ponas. quod est
signum infirmitatis. Pro signo glosarii. premisso generali indicem dextrum proximo
sibi digito suppone. Pro signo libri omeliarum. premisso generali adde signum episcopale.
quod etiam omnes expositiones vel sermones significat. Pro signo libri col
lationum. premisso generali adde signum lectionis. postea omnes digitos dextere
in unum coniunge. quod omnes fratres convenisse significat. Pro signo libri letani
arum. premisso generali adde signum martyris. Pro signo breviarii. premisso generali indicem
per obliquum super nares trahe. quasi obtruncatam rem simulans. Pro signo
libri consuetudinum. premisso generali vestem circa pectus comprehende. Pro signo pergame
ni. premisso generali signo libri hoc adde ut digitis utriusque manus coniunc
tis manum manui circumferas. quod etiam est signum. Pro signo rotule. digi
tum digito circumfer. ac deinde quasi scribentem simula. Pro signo brevis.
primos articulos quattuor digitorum inflecte. itemque scribentem simu
la. Pro signo martyrologii. summitatem pollicis per ceterorum summitates
digitorum dextere quasi computando celeriter trahe. incipiens a mi
nimo. Pro signo libri secularis. quem aliquis paganus composuit. premisso generali signo
libri. adde ut aurem cum digito tangas. sicut canis cum pede pru
riens solet. quia nec inmerito infidelis tali animanti comparatur.

De signo analogii. formule. et ligni in quo lumen habetur.

Pro signo analogii. premisso ligni signo. coniunctisque ma
nibus simul et inflexis. interiora ipsarum faciei oppone.
Pro signo ligni ad lumen tenendum compositi. manum sinistram extende.
interiora eius sursum vertens. alteramque in iunctura manus et brachii
super ipsam erige. sicut vides ipsum instrumentum esse factum. et adde